

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lorenz Bodock

**Rector Universitatis Rostochiensis Laurentius Bodock, Ph. U.I.D. ... Ad Funus
Quod Viro ... Dn. Gaspari Thurmann/ Senatori Rostochiensium paeclare
promerito Moestissima coniunx, ut & tristissimi Liberi Hodierna ... parabunt
Omnes Universitatis huius Cives ac Favitores ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198>

Druck Freier  Zugang



Bodock, L.,

in G. Thurmann,

Rostoch. 1661.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0003)

DFG

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LAURENTIUS BODOCK,

Ph. U. J. D. Consiliarius Mecklenburgi-
cus Academ. Orator, Colleg. Philos. Senior.
p. t. DECANUS.



AD FUNUS

QUOD

Aplissimo Spectatissimo Prudentissimo

D N. GASPARI

Thurmann /

Senatori Rostochiensium

præclarè promerito

Mœstissima conjux, ut & tri-
stissimi Liberi

HODIERNA HORA PRIMA

solenniter decenterg; parabunt

Omnes Universitatis hujus Cives ac Favitores
peramanter ac officiosè invitati.

— 86 (o) 80 —

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ. ANNO CHRISTI M. DC. LXI.

3

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LAURENTIUS BODOCK, Ph. U. J. D.

S. P. D.

Res sanè ita sese habet; nunquam mortale peccatum magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, uti vitâ defungeretur. In bello bis peccare non licet. Certè ut suprema recte obeamus, hoc diligentius danda assiduè est opera, quod rectè non nisi semel obiri possint. Et quid circuire mundum juvet, quid in omnem naturam denique mentem oculosquè demittere, dum tuam ipsius negligas, teque mortalem minus cogites aut moriendi artem condiseas minus? Magnam laudem habet non ignorare, quod nescit vulgus, levareque altius mentem, quam enititur turba. Sed hic doctissimus & sapientissimus fuerit, qui probè hanc disciplinam calleat, ut nunquam non latus & hilarius, & plenus optimæ spei, fatum suum possit excipere. Non fugiebat hoc eximium prudentissimum VIRUM DN. GASPAREM THURMANNUM, recogitabat enim vices rerum, & rotam fortunæ volubilem, & hominem esse sese nunquam obliscebatur. Nec quicquam hactenus didicerat magis, quam ut præclarè ex hac vitâ, in meliorem discederet, quod etiam in novissimo præsertim mortis agone egregiè probatum ivit. Natus est sub ipsum seculi hujus initium, Anno 1600. die Epiph: in Krieviš Ducatus hujus propè hinc distante oppidō. Patre qui dem Hans Thurman / Matre ANNA Saltwedeln / probis, ipsaq; integritate a honestate conspicuis mortalibus.

Proin

Proin enixè adlaborabat, uti quam ex sorte nascendi honestatem nactus fuerat, eam propriis quoquè virtutibus consequeretur; quod longè ei profectò gloriosius fuit, quam si ex illustriori natu, degener ipse abjectusquè prodūisset. Enimverò postquam tinctus antè Sacro baptisma te, membrumquè adeò CHRISTI Ecclesiæquè ejus factus eslet, in Parentum dein gremio, pietatis & probitatis semina hausit, primisq; literis, quarum quidem capax ea esse artas svevit, imbutus est. Decimo Sexto ætatis anno hac ROSTOCHIUM missus, operam suam Spectatissimo, Honoratissimoque VIRO, JACOBO Carmon / holosericis negotianti addixit, eidemque totos undecim annos sic serviit, uti maximam fidelitatis atquè diligentia laudem, cā ex re adipisceretur. Anno 1626. in CURLANDIAM abiit, hac fini, uti quam cœpisset mercaturam, eò ibi felicius pleniusquè exerceret. Reversus indè, ad Uxorem animum applicuit suum; quam vitæ torique sociam, Cœlo ita disponente, adlegit sibi florentissimam Virginē, MARGARETAM Zanders, DN. Hans Zanders, Civis apud nos ac mercatoris præstantissimi filiam. Quæ solemnibus nuptiarum, Anno 1628. die 12. Febru. ritè celebratis, maritum postea hunc suum, senum liberorum parentem fecit; filiorum silicet quatuor. filiarumq; duarum. Equibus MICHAEL & CHRISTIANUS, uti & MARGARITA diē jā obiere, pluriumque adeò numero adscripti sunt; Reliqui per DEI gratiam superstitant; ut clarissimi consuli tissimique viri, JOHANNES & GASPAR. J. U. Licentiati, illequè Rev. Capituli HAMBURG. Secretarius eximus; veluti etiā sexus sui ornamentū ac decus CATHARINA ELISABETHA, præstantissimo VIRO DN. JOANNI Netzenblat civi hujus Reipub: primario nuptum data. Ex quâ nepotem vidit DEFUNCTUS unum, cognomini nem

nem GASPAREM, neptemque pariter unam MARGA-
RITAM. Quemadmodum etiam ex filiorum altero
L: JOANNE, ejusque conjugē DOROTHEA Freudens/
nati, GASPAR MATTHÆUS Nepos, Neptisque ELISA-
BETHA. Cæterum demortuā Anno 1638, 17. Junii ZAN-
DERIA, ad secunda vota Noster transivit, adscitaquè ei-
dem in Conjugium lectissima Virgo MARGARITA
Schlees/ Civis ac Cerevisarii nostratis honoratissimi filia.
Quæ cū CHRISTIANUM enīsa fuisse haud diu post mor-
talitate exutū. Anno 1644. die 20. Febr. tertium factus Ma-
rit̄(cū altera illa triennio antē decessisset)duxit MARGA-
RITAM von Heckn DN. JOANNIS von Heckn/ Mercato-
ris apud nos civisque spectabilis filiam, ornatissimam
virginem; ex quā genuit uti cum omnium primā, senos
liberos; quorum filius unus CONRADUS nomine, unaq;
filia CHRISTINA defuncti jam, adsignatiq; cœlitibus
sunt; cœteri quatuor, videlicet MARGARITA, ANNA,
CHRISTIANUS & CHRISTINA II, vitali adhuc fruuntur
aurā, unaq; cum matre viduā erectū sibi ex oculis CHA-
RISSIMUM CAPUT, vitæque subsidium suæ, acerbissimè
queruntur ac dolent. Durante etiamnum privatō civi-
um, in quō collocabatur statu, negotiatioṇi cuise dica-
rat, adeò strenuam operam navavit, uti eam non tantum
laudabili ratione persequeretur, verum etiam rem indē
suam, immane quantum locupletaret atq; augeret. So-
lerti enim præditus erat ingenio, quale cum primis merca-
torem decere, nemo non intelligit. Enim verò versan-
tur hujuscemodi homines circa opes, quibus rectissimè
uti, sapientis est. Nequè verò hoc etiam naris obesæ vi-
detur esse, scire omnino qualem cuivis te præbere debeas,
videre posse cui fidas, quæ quantum, quandō, & ubi
emere seu vendere debeas. Quin & non ignoratum
habere

habere, quarumcunque rerum valorem, dignitatem, aut improbitatem. Ad quæ ritè præstanda omnia, sanè inge-
nio opus fuerit, quò excelluisse, NOSTRUM, supra dicere meminimus. Sed jam altius quid, vel ipse Senatus cùm
homine constituerat, quam ut inter privatos vel hærere
semper, vel censeri mereretur. Proin, quùm jam antè,
Centum Viratu, & nescio, quibus non aliis præclaris
functus foret muneribus, Anno tandem 1656. ipsò
MATTHIÆ die, unanimi PATRUM consensu, SENA-
TOR publicè solemniterq; proclamatus est: quam qui-
dem spartam cùm immortali nominis sui laude, ita orna-
vit, uti rei communi publicoquè commodo servire, ejus-
què, cui inter alios regundæ destinatus erat, Reipubl.
amantissimus esse videretur. Cæterum quemadmodum
TRAGICUS ille, non abs re exclamat:

Invicem cedunt dolor & voluptas:

Et insperata accidunt magis sàpè, quam quod speres; con-
tra quæ nunquam satis cauta est mortalitas; ita & hic
contigit. Quem enim vivere inter nos, pròquè urbis
salute dicere vota & suffragia, paucos ante dies vidimus
& gravisi sumus, eum nunc subito subtractum nobis,
EGREGIOq; BONO invisum comperimus, impenseque
ploramus. Proh rerum humanarum vicissitudinem!
Die 21. Julij interfuit adhuc, concioni publicæ, sed matu-
tinæ, circà meridiē autē conquestus de nescio quâ nō vale-
tudine, quæ vel scanno vel lecto piè denatū figeret. Qua-
liter verò insecutis diebus exierit, id verò non nostris, sed
Experientissimi Exellentissimique MEDICI, DN. SEBA-
STIANI Wirdig / Med. D. ac Prof. benè meritissimi, Col-
legæ & amici nostri honoratissimi verbis (quanquam &
Exellentissimus, Experientissimus DN. D. BACMEI-
STERUS, Collega itidem noster conjunctissimus adsci-
tus tandem fuerit) apponemus. Die 22. Julii, die nimirum Lune

post

post meridiem vocatus, deprehendi Prudentissimum DN. GASPA-
REM THURMANNUM affinem meum, cum inter vivos erat, ho-
noratissimum, jam desideratissimum, febre eheu! continua, cum
quotidiana exacerbatione laborare: huic statim malo convenien-
tibus medicamentis alterantibus obviatum est; Hinc nox adeo quieta
fuit & tranquilla, ut nullum planè morbum sentiret, nec de imbe-
cillitate aliquā conquereretur. 23. ejusdem manè tartarum sumvit
cum successu: post meridiem redeunte paroxismo cum inquietudine,
iectigazione & Cordis anxietate, malignitatem quondam subesse
suspicabar; prescripti itaq; ex selectissimis alexipharmacis appro-
priatum diaphoreticum, quo sumto vesperi paroxismus maturè re-
misit, noctem quoq; satis quietam sine ulla molestia transegit, & la-
bore. 24. ejusdem die venam aperiri curavit, ex qua nullam planè
virium jacturam sensit, utpote quib; inde obambulabat; sedulò
tamen & frequenter specificum alexipharmacum continuabat, quo
sumto, hanc obscuram malignitatis in Conspicuum eruperant vesti-
gia; paroxismus more solito non admodum erat gravis, nec clystere
applicato, de anxietatibus amplius conquerebatur; sperabamus
itraq; noctem itidem sine molestia tranquillam. Non equidem in-
somnia plane nox erat insequens ultima, quibusdam tamen cum in-
somnia & labore turbata; ex quibus 25. Julii Sole oriente præter om-
nium expectationem refrigeratio extremorum, indubitatim
imminentis mortis indicium accedebat; vires manifestè immixti
videbantur; ratio tamen & mens, ut hactenus semper, integra
& ad ultimum usq; susprium immota permanebant. Hæc ille,
Quum itaq; quicquid abs MEDENTIBUS, vel sperari
vel proficiisci virtutis quiret, omne frustra foret, & ÆGER
ipse satis intelligeret, brevi de se actum iri; id unice stu-
duit, uti ad fatalem illam ac derotoriam horam, animam
ritè præpararet. Accersitò itaq; brevi ante obitum
confessionario suò, Viro pl. Rev. Excellentissimoq; DN.
GASPARE MAURITIO, S.S. Theol. D.P.P. & Ecclesia-
rum

rum Rostoch. Superintendente Amplissimo, Collegâ &
Amico nostro singulari, desiderium vitæ alterius ex animi
sententiâ professus, firmissimâq; spe, sibi pollicitus fuit ea
præmia, quæ omnibus iis, qui fidem, bonamq; conseien-
tiām retinuerint, Apostolorum maximus promisit. Mox
Divina ac verenda Mysteria, cum summâ animi reveren-
tiâ ac devotione participavit. Multoties dein, quoad vi-
veret, (per pusillum id tempus erat,) his se verbis erexisse
dicitur Ich verlasse mich auf Gottes, der wird woll helfen. Auf
Jesum bau und trau ich dem habe ich mich ergeben. In hoc
acquiescebat, in quo omnes debemus quotquot æternita-
tem cogitamus; inde salutem & opem petebat unde compri-
mis eam norat expectandam. Cum jam jam è imbecili
corpore exituram animam, ad futuramq; adstantes, eam
horam cernerent, quæ exemptū rebus humanis ÆGRUM,
DEO OPT. MAX. atque æternæ felicitati traditura esset,
commonefecerunt, ut vel maximè per se in hæc taliaq;
promptissimum, & nil hujusmodi admonitionis indigum,
uti fixū animo retineret constanter THESAURUM suum;
At ille sublati ad cœlum manibus oculisque respondit, o-
mnino se id facere. Orationes & preces nominatim istas, Herr
Jesu dir lebe ich / Herr Jesu dir sterb ich / lebē wier so leben wir den
Herrn / sterben wier so sterben wier den Herrn / Christus ist
mein Leben / Sterben ist mein Gewin / aliaque divinarum
literarum oracula, clarâ & satis articulatâ voce recitavit,
superque iis mirificè erigi, & quodam velut gaudio ge-
stire cœpit. Nam sicut per omne vitæ tempus, DEI reve-
rentissimus semper fuit, ita appetente jā fine, seriò sibi tu-
endam virtutum omnium principem PIETATEM arbit-
rabatur, ut à quâ præcipue salus & felicitas omnis eorum
qui obirent proficiseretur. Quum autē ad ultimum inge-
minasset Herrnuhn Iestu deinen Diener in Friede fah-
ren &c. exspiravit die 25. Julii, hora 12. pomerid: plenus
fidei

fidei ac spei Christianæ, planequè sui compos; quod ultimum profectò eximumq; in moriente beneficium est. Quid enim fieri præclarius queat quam si integrâ mente, cæterisq; sensibus, opus ipsa suum, eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvat? Vivendo explevit Annos 61. menses 9. diesq; 19. Quarè cū efferendus hodie sit hic Eximus. Sanè Vir ad horā Primā, Vestrarum erit partiū, Cives Academicī, de Republicā, Ecclesiā, deq; plurimis bonis optimè merito, supremum honorem in ducendo ejus funere, prolixè & cumulate p̄f̄stare. Quod uti faciatis, etiam atq; etiā adhortamur. Inter verò eundū, & cæteroquin omnibus horis, ad Liberatorem Conservatoremq; salutis nostræ CHRISTUM JESUM, ex animo suspirate.

Imperii domitor, Stygiū letiq; ferocis

Victor, ad æternæ regna quietis abis;

Huc TE CHRISTE sequor, sed Spe, sed pectore jolum,

Omibi da tandem, re quoq; posse seqñ.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus, die
3. Augusti A. D. 1661.

Convenietur in Aede D. Virginī
MARIÆ sacrâ.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0013)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0014)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0015)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777420198/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420198/phys_0016)

DFG

rum Rostoch. Superintendent
 Amico nostro singulari, desider
 sententiā professus, firmissimā
 præmia, quæ omnibus iis, qui fi
 tiā retinuerint, Apostolorum
 Divina ac verenda Mysteria, cu
 tiā ac devotione participavit.
 veret, (per pusillum id tempus
 dicitur Ich verlasse mich auf G D
 Iesum hau und trau ich dem hab
 acquiescedat, in quo omnes deb
 tem cogitamus; indē salutem &
 primis eam norat expectandam
 li corpore exituram animam, ad
 horam cernerent, quæ exemptū
 DEO OPT. MAX. atque æterni
 commone fecerunt, ut vel maxi
 promptissimum, & nil hujusmodi
 uti fixū animo retineret constan
 At ille sublatis ad cœlum manibi
 mnino se id facere. Orationes & pre
 Jesu dir lebe ich / H Err Jesu dir sterb
 H Eren / sterben wier so sterben wi
 mein Leben / Sterben ist mein Ge
 literarum oracula, clarā & satis
 superque iis mirificè erigi, & q
 stire cœpit. Nam sicut per omni
 rentissimus semper fuit, ita appre
 endam virtutum omnium pri
 trabatur, ut à quâ præcipue salu
 qui obirent proficeretur. Qua
 minasset H Err nuhn lestu dei
 ren &c. exspiravit die 25. Julii,



10 ; Collegā &
 terius ex animi
 sollicitus fuit ea
 mā; conseien
 promisit. Mox
 nimi reveren
 dein, quoad vi
 verbis erexisse
 soll helfsen. Auf
 geben. In hoc
 quot æternita
 bat undē com
 jam è imbecil
 adstantes, eam
 anis ÆGRUM,
 traditura eslet,
 in hæc taliaq;
 onis indigum,
 URUM suum;
 e respondit, o
 atim istas, Herz
 so leben wir den
 en / Christus ist
 ue divinarum
 voce recitavit,
 lut gaudio ge
 yus, DEI reve
 e, serio sibi tu
 TATEM arbit
 omnis eorum
 ultimum inge
 in Friede fas
 merid : plenus
 fidei